



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXVI. Excitatur homo Christianus ad spem & fiduciam in Deo collocandam ex contemplatione Christi crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXVI.

Excitatur homo Christianus ad spem & fiduciam in Deo collocandam ex contemplatione Christi crucifixi.

Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. 32.

1.

Pulcherrimam Epistolam S. Paulus Doctor Gentium, cum esset Corinthi, & S. Petrus Apostolus jussu Claudii abiisset in Britanniam, ad Romanos tunc Pastore destitutos, anno Christi 58. exaravit, in qua eos ad singularem spem ac fiduciam, amorémque in DEum ex contemplatione Christi JESU crucifixi excitavit:

Quid ergo, ait, dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. 31.

O verba auro & cedro digna, quæ merito miseram nostram & languidam consolentur animam, quia in Christo crucifixo omnia habemus. Ita S. Ambrosius: *Omnia Christus est nobis; Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus astuas, sors est, si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si calum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quaris, alimentum est.* Ambr. lib. 3. de Virginit. tom. I. col. 110.

O si cognoscerent hoc homines, quantam fiduciam ac securitatem in agone & morte pariat serio meditata Passio Redemptoris nostri, & quam jucundum ac securum sit vivere ac mori in Vulneribus Christi JESU crucifixi; o si cognoscerent! An verò etiam, pie Lector, abscondita sunt hæc ab oculis tuis? Ecce venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui, & ad terram prosternent te, & coangustabunt te undique, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ: Proinde nunc erige te in spem, nunc inquam, dum tempus gratiarum affulget, & qui abyssus es omnis miseræ, sæpius invoca abyssum omnis misericordiae,

cordiæ, cum Sancta Ecclesia orans ac flagitans: Bone JESU! *Quarens me, sedisti lassus; Redemisti, crucem passus: Tantus labor, ac tantus amor non sit cassus. Ah non sit cassus.*

2. Et quis unquam speravit in Domino nostro JESU Christo crucifixo, & confusus est? Speravit jam olim in illo David, quia totam illius passionem in spiritu præviderat, prout videre est Psalmo 21. Et in illo in omni tribulatione ac persecutione consolatus est, unde mortalitati humanæ scriptis reliquit: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Erat tunc David mirum in modum exagitatus à Saul, vitæ suæ nunquam securus, sed plerumque ambulabat in umbra mortis, unde ad DEum fortissimum adiutorem suum levavit animus, impensissimè rogans eum, ut sub umbra alarum ejus protegeretur. Le Blanc & alii per hanc umbram alarum Christi brachia in cruce extenta allegoricè intelligunt, sub quibus omnibus fidelibus sperandum est etiam grandibus peccatoribus, si verè ad frugem ac seriam poenitentiam volunt reverti.

Quinimò non solum David in suo præviso crucifixo Domino speravit, sed & omnes fideles ad hanc spem & fiduciam animavit, unde dixit: *Fili hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Hoc est, ait Le Blanc: Sub umbra manuum tuarum in cruce expansarum, Christus enim est arbor vitæ, & dat in cruce umbram vitæ; unde rectè Arnoldus Carnotensis: *Extensis, inquit, brachiis Christus in cruce totum corpus intra se positum complexus est, & sub alis crucis aggregato genere nostro, ibi & protexit, & fovit.* Et sequitur in prædicto Psalmo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Qualis hæc domus est Christi crucifixi? Respondet Le Blanc: Latus ejus militis lauceâ apertum, hæc est domus refugii, porta cæli, justii intrabunt in eam.

3. Ezechias in summa necessitate speravit in Domino, & adjutus est: Cum enim Sennacherib Rex Assyriorum vicinarum civitatum victor jam urbem Solymæam per Rabfacem valido obsideret exercitu, & nunc res in arcto esset, ut Rex Ezechias ab hoste barbaro aut caperetur, aut interficeretur, obvolvitur Ezechias se sacco, & intravit in domum Domini, ardenti oratione à Domino opem flagitans; & intravit plus quam petiit, ultor enim Angelus una nocte in hostili obsidentium exercitu centum & octoginta quinque hostium millia peremit. Tanta est veræ spei & humiliantis se potentia.

Si hoc olim in umbra, quid nunc in luce & veritate, ubi Christus per mortem crucis noster Advocatus apud Patrem factus est? *Quis, ait Gentium Doctor, accusabit adversus Electos Dei? Deus qui justificat; quis est qui condemnet? Christus JESUS, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est*

Psal. 56. 2.

Psal. 35. 8.

Arnold. Carnotens. tr. de 7. Verb.

Na. 37. 36.

Rom. 8. 33.

ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, exhibendo nimirum se Deo Patri in Mediatorem, & cicatrices suas in passione acceptas ei ostentando. Quomodo ergo poterit esse repulsa, si hæc pro nobis loquuntur amoris insignia! Quis est qui condemnet?

4. In horrenda illa Benjamitarum clade, in qua viginti quinque millia, & pugnatore ad bella promptissimi in ore gladii occisi sunt, solum remanserunt sexcenti viri, quia sibi & propriis viribus diffisi, fugiebant in solitudinem ad petram Remmon, in cujus foraminibus & cavernis vitam ac salutem conservarunt: *Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, & fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in Petra Remmon mensibus quatuor.* Judic. 20. 47.

Petra erat Christus, ait S. Paulus; Foramina & cavernæ hujus petrae sunt ejus SS. Vulnera & apertum latus ejus, in his ergo, anima Christiana, te contra omnes tentationum & hostium incurfus absconde, atque in omni adversitate spem tuam in eis colloca, & experieris, quod hæc spes non confundat. Imitare prudentem illam columbam à facie rapacis milvi ad similem petram volantem, de qua in Canticis: *Columba mea in foraminibus petra, & in caverna maceria;* Vel dic cum Propheta Regio: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam;* Quod volabis? Ad crucem Christi; Ubi requiesces? In cruce Christi & in Sacratissimis ejus Vulneribus, in his tota spes mea & salus consistit: *In Domino sperans non infirmabor.*

5. De nullo peccatore Christus Dominus sic conquestus est, quam de illo impio ministro, qui ipsi coram Judice iniquissimo alapam gravissimam inflixit: *Quid me cædis?* Pientissime JESU! quare non & alteram huic effronti ministro præbuisi maxillam, ut tuum dogma Matth. 5. 39. ipso facto sancires? R. S. Augustinus: *JESUM non solum alapam maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparasse in ligno;* Quod autem taliter contra illum conquestus sit, erat ille minister unus ex illis apparitoribus, qui prius à Judæis submissi fuerant, ut JESUM comprehenderent, sed re infectâ, reversus respondit: *Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo;* Nunc rursus à JESU defecit, ut placeret adulator nefario Pontifici, & ad partes diaboli transiit, percutiens innocentissimum JESUM, supra quod Didacus Niffenus: *Alapa gravis injuria facies Christi ejus misericordis.* De nullo alio peccatore queritur Christus, ut de desperantibus misericordiam. Juvat hic audire devotissimum Blossium: *Homo, inquit, Deum magis inhonorare nequit, nec majorem illi irrogare injuriam, quam si ob multitudinem, aut gravitatem criminum suorum desperet de ejus misericordia.*

S. Hieron. in
Psal. 107.

Blos. ibidem
p. 2. c. 1.

Psal. 37. 4.

Isa. 53. 5.

1. Jo. 2. 1.

Job. 21. 13.

Eccl. 2. 17.

Psal. 90. 4.

6. O si venisset adhuc Judas Iscariotes, mercator ille pessimus, ad crucifixum Jesum, antequam se in ficulnea laqueo suspendit, & crepuit medius, sine dubio à pietissimo Redemptore veniam & gratiam impetrasset; proinde rectè S. Hieronymus: *Pro clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc offendit Dominum, quòd se suspendit, quàm quia Dominum prodidit.* Et hæc causa est, quare Deus & Homo Christus ad S. Catharinam Senensem dixerit: *Peccatores, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò gravius me offendunt, & magis mihi displicent hoc peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserunt. Qui enim desperat, contemnit apertè ipsam misericordiam meam.* O verba solatio plena!

7. O si hoc est, prout ita est, ego, licet peccatorum omnium miserimus, non despero, sed dum spiro, spero: qui enim non sperat in Christum Jesum & hunc crucifixum, bestia est, & non homo. Et si sperat, ac confidit æger in suo familiari medico, si reus in suo avvocato, si cæcus in suo duce, cur ego non sperem in mitissimo Salvatore meo pro me crucifixo? Æger sum, fateor, & non est sanitas in carne mea, sed habeo in crucifixo Domino meo optimum medicum, qui potest compati, & mederi infirmitatibus meis: *Et livore ejus sanati sumus.* Reus sum propter innumera delicta mea mortis & inferni, non tamen despero, quia advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Cæcus sum, quia omnis peccator cæcus, à via salutis aberrans, sed habeo ducem optimum, Dominum meum Jesum Christum & hunc crucifixum, qui deducet me in viam & in terram rectam.

Sperent proinde alii in Principibus, in quibus non est salus: sperent in divitiis, de quibus in morte nihil affument; Sperent in deliciis & sæculi voluptatibus; de quibus Job: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Speremus nos, optime Lector! in DEO & in cruentis meritis ac Vulneribus crucifixi Jesu. *Respicite filii nationes hominum: Et scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est; Nullus speravit in crucifixo Redemptore suo, & confusionem passus est:*

Sub pennis ejus sperabis &c.

